



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Ivlivs Papa III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

A libet in Romana curia, extra vero eam ad prædictos subdelegatos in suis districtibus realiter, & cum effectu afferant, & consignent: quas censuras, & penas incurrant omnes, & singuli scientes, & non recu-
B lantes qui sunt auctores, fautores, & impressores talium librorum. Verum quia nos præmissa diuersis in partibus exequi, & agere non valeamus, confidentes de doctrina, ac sincera fide, & religione Reueren-
C di patris F. Thoma Maria de Bononia, Inquisitoris in ciuitatibus Ferrariæ, & Mutinæ, eum & N. eius substitutum, & eorum quemlibet in solidum ad præsens edictum publicandum & seruari faciendū, cæ-
 teraq; omnia & singula præmissa facienda, gerenda, exequenda, exercenda, & procuranda in Ciuitate, & dominio Ferrariæ ac Mutinæ, terrisq; omnibus his subiectis, in quibus hoc nostrū edictum publicari
 mandamus, tenore præsentium substituimus, & subdelegamus, vices nostras ipsis, & cuilibet eorū de-
 super plenarie committendo, cum amplissima facultate ingrundi quascunque Bibliothecas & officinas
 talium impressorum & libratorum, & quorumuis priuatarum Domos, Ecclesias, & monasteria, & di-
 ligenter inquirendum si ibidem reperiuntur huiusmodi libri, eosq; si necesse fuerit, publice, vel secre-
 te prout eisdem videbitur, comburendi, cæteraq; faciendi quæ ad extirpandas hereses, & libros huius-
 modi è Republica Christiana exterminandos pertinere videbuntur. Quocirca oēs & singulos Christianæ
 & Catholicæ fidei professores, Imperatorē, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Baro-
 nes, Milites, Potestates, Rectores, Consules, Proconsules, Communitates, & Vniuersitates Regnorum,
 prouinciarū, ciuitatum, oppidorū, castrorum, villarum, terrarū, aliorumq; locorum prædictorum, nec-
 non ceteros iurisdictionem temporalem exercentes totius Italiæ, & extra hortamur, requirimus, & in
 Domino monemus quatenus prædictis subdelegatis, vel subdelegandis nostris & eorū cuilibet, in suis
 districtibus omne auxilium, consiliū, & fauorem ad præmissa omnia & singula facienda & exequenda,
 quantum in eis fuerit, quemadmodū decet viros vere Orthodoxos, præstent, ac præstari curent, atque de
 prouincijs, ciuitatibus, oppidis, castris, villis, terris, & cibus alijs locis, aut dominijs supradictis, oēs &
 singulos hereticos, quos publice, vel manifeste per facti euidentiā cognouerint esse tales, tāquam oues
 morbidas gregem Domini inficientes expellāt, donec & quousq; à præfato Sanctissimo Domino no-
 stro, vel à nobis qui eius vices in hac re gerimus, vel alijs iudicibus Ecclesiasticis vel Inquisitoribus ordi-
 narijs, vel per nos deputatis seu deputandis, fidem, & cōmunionem Romanæ Ecclesiæ tenentibus,
C aliud recipiant in mandatis: nec eisdē in suis districtibus prædicare, domicilia tenere, latere, & fouere, con-
 tractus inire, negotiationes & mercatias quaslibet exercere, aut humanitatis solatia cū Christi fidelibus
 habere permittāt. In cuius rei testimoniū præsentis nostras litteras manu nostra propria subscript. per
 Secretariū nostrū fieri, & subscribi, nostrisq; sigilli impressione cōmuniri mādauius. Dat. Bononiæ 4.
 Id. Iulij, anno Domini M. D. XLIII. Pontific. S. D. N. Pauli, diuina prouidentia Papæ iij. anno viij.
 F. I. Cardinalis Bugen.
 B. Cardinalis Guidicionus.

De mandato Illustiff. ac Reuer. Dominorum Cardinalium Inquisitorum.
 Doctor Alfonso Martinez Secretarius.

IVLIVS PAPA III.

De reuocatione Hæreticorum ad sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ gremium.

D Venientibus sponte ad Inquisitores hæreticæ prauitatis, & suas culpas integre confitentibus post sex
 menses à publicatione huius rescripti, dummodo prius non fuerint inquisiti vel denunciati, remittun-
 tur omnes pena à iure vel ab homine lata. ob irregularitate absoluantur. ad sacros ordines promouen-
 tur. eorum filij ad officia & beneficia admittuntur. quod si intra hunc terminum non venerint, à qui-
 busuis denuntientur sub penis grauib. qui non paruierint, vt hæretici publicentur. contradictores cō-
 pelluntur per censuram ecclesiasticam inuocato brachio seculari. de reconciliatione & abiuratione reo-
 rum publicæ scripturæ fiant, quibus ipsi conuersi subscribant.

IVLIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.
ILLIVS qui misericors, & miserator existens non solum septies, sed etiam septuagies
 septies ignosci debere mandauit, vices licet immeriti gerentes in terris, etiam ijs, qui à fide
E Christi aliquando aberrant, ianuam pietatis, & misericordiæ aperimus, ac penas quas iuris seueritas
 in eos statuit, Apostolica sedis clementia moderamus, vt aberrantes huiusmodi dictæ sedis benigni-
 tate allecti, eorum erroribus abiuratis, catholicæ fidei zelum, & obseruantia in eorum cordibus firmiter
 recipiant, & si in eorum falsis opinionibus perseverare præsumperint, in eos vehementius animaduer-
 tatur, quo obstinatores se in erroribus suis præstiterint. Sane cū sicut nuper accepimus, diuersi fideles
 diabolica fraude decepti, se in diuersas erroneas, & ab eadem fide alienas opiniones, paulatim deduci
 permisissent, & modo publicam penitentia abhorrentes, & potius placita huius sæculi, quam salutē ani-
 mæ suæ sectantes, ne infamia aspergantur, ad ouile Christi redire differant. Nos animarū salutē quan-
 tum cū Deo possumus consulere cupientes, motu proprio non ad alicuius nobis super hoc oblatæ peti-
 tionis instantia, sed de mera deliberatione, & certa scientia nostris, omnes, & singulos vtriusq; sexus,
 tam laicos, quam clericos sæculares, & quorumuis ordinū, & militiaiū regulares, tam milites, quā præ-

Edita anno Do-
 mini. 1550.
 Ex bibliotheca
 nostra eratque
 impressa Romæ
 anno Domini.
 1550.

H byre-

byteros, non tamen sub generali Inquisitione Hispaniæ, ac Portugaliæ, regnorum comprehensos, de præmissis culpabiles, cuiuscunque status, gradus, ordinis, vel conditionis, aut præminentia existant, etiam si Pontificali, aut alia quacunque, etiam maiori ecclesiastica, vel mundana dignitate præfulgeant, qui infra tres menses, à die publicationis præsentium, modo, & forma infra scriptis faciendæ, computandos, coram Inquisitoribus ciuitatum, in quibus ipsi degunt, se personaliter exhibuerint, & suas hæreses coram eis priuatim abiurauerint, & se ad poenitentiam priuatam eis per dictos Inquisitores iniungendam adimplendum paratos obtulerint, eamque postmodum cum effectu adimplerint, ab omnibus, & singulis eorum hæresibus, & à fide Christi apostasij, ac quibusuis alijs in eadem fide erroribus, quantumcunque grauib, & enormibus, necnon excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque sententijs, censuris, & poenis tam ecclesiasticis, quam temporalibus, etiam honorum priuatijs, & corporis afflictiujs, ac capitalibus ab iure, vel ab homine latis, & promulgatis (dummodo hæcenus Inquisiti, aut in hæresim relapsi non fuerint) Apostolica auctoritate, tenore præsentium, in viroque foro penitus, & omnino absoluiamus, & liberamus, necnon cum eis super irregularitate ꝑ per eos præmissorum occasione, etiam quia sic ligati forsan missas, & alia diuina officia, etiam forsan in contemptum clauium celebrarunt, aut illis alijs se immiscuerunt contracta. Quodque ea, & alijs præmissis non obstantibus, non promoti ad omnes etiam sacros, & presbyteratus ordines promoueri, & in illis tam ipsi, quam qui iam etiam post incursum hæresim promoti existunt, etiam in altaris ministerio ministrare: Nec non tam clerici, quam laici, & vtriusque sexus personæ, eorumque filij, nepotes, & descendentes ad gradus, honores, ordines, officia, & alia quacunque assumi, illaque suscipere, & exercere libere, & licite valeant, auctoritate, & tenore prædictis, de specialis dono gratiæ dispensamus, eique pariter indulgemus: Nec non inhabilitatis: & infamiæ maculam, siue notam circa eos præmissorum occasione quomodolibet insurgentem penitus & omnino abolemus. Quod si forte culpabiles præfati infra dictum terminum resipiscere, & ad cor reuerti noluerint, seu distulerint, ad hoc, vt eorum notitia haberi, ipsique debitjs poenis affici possint, motu & deliberatione ac scientia prædictis, omnes, & singulas vtriusque sexus personas etiam, vt præfertur qualificatas, de aliquibus ex hæreticis, seu alijs culpabilibus prædictis quomodolibet notitiam habentes, seu eos hæreticos esse aut fuisse scientes, dicta auctoritate, tenore præsentium requirimus, & monemus; ac eis & eorum cuiilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub incursum hæresis, ac omnibus contra hæreticos de iure inflictis, & promulgatis, tam ecclesiasticis, quam temporalibus sententijs, censuris & poenis distincte præcipiendo mandamus, quatenus infra spatium triginta dierum, terminum prædictum immediate sequentium, quorum decem pro primo, & alios decem pro secundo, ac reliquos decem dies pro tertio, & peremptorio termino, ac monitione canonica, eis, & eorum cuiilibet in ijs scriptis assignamus, hæreticos, seu alijs culpabiles prædictos Inquisitoribus hereticæ prauitatis ciuitatum suarum, si prius, vt præfertur, aut alijs absoluti non fuerint, denunciassent, & notificassent debeat realiter, & cum effectu. Et nihilominus venerabili fratri Io. Petro Episcopo Tusculan. Neapolitan. & dilectis filijs nostris Ioanni S. Clementis de Burgos, ac Marcello S. Crucis in Hierusalem, Ceruino, & Francisco S. Anastasiæ. ti. Sfondrato nuncupatis, presbyteris Cardinalibus, Inquisitoribus generalibus per sedem Apostolicam deputatis, per Apost. scripta, & pari motu mandamus, quatenus ipsi per se, vel alium, seu alios eisdem requisitos, & monitos, monitioni, & mandato nostris prædictis non parentes, quos hæresim, & alias sententias, censuras, & poenas prædictas propter non partitionem huiusmodi incurtere contigerit: ex nunc prout ex tunc, & è contra, hæreticos, ac sententijs, censuris, & poenis prædictis irretitos tamdiu publice nuntient, & faciant ab alijs nuntiari, donec ipsi hæresim huiusmodi abiurauerint, & rehabilitationis gratiam obtinere meruerint. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, contrarijs quibuscunque: aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicati non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Cæterum, vt præmissa omnia ad eorum quorum interest, notitiam deducantur, nullusque de eis ignorantiam iuste prætere, aut se legitime excusare possit: Volumus, & dicta auctoritate Apostolica decernimus, quod præfates litteræ per aliquos Curia: nostræ Cursores, in Basilica principis Apostolorum de Vrbe, & Ecclesia Lateranen. dum inibi multitudo populi ad diuina audienda congregari solet, plana, & clara voce legantur, & lecte in earundem Basilicæ, & Ecclesiæ valuis, ac in porta Cancellariæ Apostolicæ, et in Acie Campi Floræ, necnon in singularium Cathedralium, & metropolitan. Ecclesiarum Valuis affixæ pendeant, et cū inde amoueant earum exempla, in eisdem locis remaneant affixa. Quodque per lectionem, affixionem, et publicationem huiusmodi omnes, et singula personæ, sub præsentibus comprehensæ post spatium trium mensium, et triginta dierum huiusmodi respectiue, ita sint obligatæ, et astrictæ, ac si illæ eis coram, et personaliter lectæ, et publicatæ essent, et quod earum transumptis, manu Notarij publici subscriptis, et sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis; ea prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Volumus autem quod de personali exhibitione et priuata abiuratione per dictos culpabiles, vt præfertur faciendæ, per scripturâ ꝑ manu propria ipsiusmet exhiben-

† Emericus in Directorio par. 3. q. 126.

† De abiuratione hæreticæ Scripturæ, quibus absoluti subscribant. Adde que dixi apud Emericum parte 3. in 4. modo præsum fidei terminandi.

A exhibentis, & abiurantis, seu per publicum notarium confecta in, ac ipsius Inquisitoris, coram quo exhibitio, & abiuratio huiusmodi fieri continget manu subscripta, ita ut si ipsi culpabiles in eisdem vel similes errores reinciderint, relapsi omnino esse censentur, constare debeant, alias eisdem presentibus, ac per eas dictis culpabilibus absolutio, & liberatio, ac dispensatio, & indultum concessa huiusmodi, eis nullatenus suffragentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, liberationis, dispensationis, indulti, abolitionis, requisitionis, monitionis, mandati, assignationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum. Datum Romae apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicae M. D. L. Tertio Calend. Maij, Pontificatus nostri anno primo.

M. Card. Crescentias.

A. de Bartolis.

Blofus.

I V L I V S P A P A I I I .

Super abolitione Librorum omnium Haereticorum, & Lutheranorum.

Renocat omnes facultates legendi libros prohibitos, soli s Inquisitoribus & eorum commissarijs exceptis: quicunque vero tales libros habuerint, realiter & cum effectu debeant eos Inquisitorib. consignare. Inquisitores vero Reip. Christianae generales iubeant publicari contradictores veluti haereticos.

IVLIVS Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.
 Cum meditatio cordis nostri, ad id potissimum tendat, ut fides Catholica ubique augetur, & floreat: ad ea libenter intendimus per quae omnis ab ea declinandi occasio tollatur. Sane cum sicut nobis nuper innotuit, ex facultatibus, quae aliquibus ut libros haereticos, aut de fide suspectos, etiam ad effectum eorundem librorum errores repellendi tenere, & legere possent, aliquando concessa fuerunt, non ij qui sperabantur fructus haecenus prouenerint, quinimo diuersa inconuenientia subsecuta sunt: Nos praemissis occurrete, & Christi fidelium animarum saluti consulere cupientes, Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostris certa scientia, & matura deliberatione, omnes, & singulas facultates, & licentias legendi, & tenendi libros Lutheranos, aut alios haereticos, seu de fide suspectos quibusuis personis cuiuscunque status, gradus, ordinis, vel conditionis existentibus, etiam si Episcopali, vel Archiepiscopali, aut alia maiori dignitate Ecclesiastica, seu seculari praesinentia praesulgeant (Inquisitoribus, seu commissarijs super haeretica prauitate ab Apostolica sede pro tempore deputatis, durante ipsa deputatione duntaxat exceptis) a quibusuis praedecessoribus nostris, ac nobis, & dicta sede Apostolica, seu eius legatis, etiam de latere, aut maiori poenitentiaro nostro, vel quibusuis alijs, sub quibuscunque verborum formis & expressionibus, ac cum quibusuis etiam derogatorijs derogatorijs clausulis, irritantibusque, & alijs decretis quomodolibet etiam motu, & scientia similibus, haecenus concessas, Apostolica auctoritate tenore praesentium reuocamus, irritamus, & annullamus, & pro reuocatis, irritis, & penitus infectis, quo ad omnia habemus, & ab alijs haberi volumus: districtius inhibentes personis praefatis, sub sententijs, censuris, & poenis, contra similes libros tenentes, aut legentes, tam a sacris Canonibus, quam a nobis, & sede Apostolica haecenus inflictis, & promulgatis, ne de caetero facultatibus, & licentijs praedictis uti, aut earum praetextu, seu alijs quomodolibet libros praedictos, aut quoscunque alios haecenus reprobatos, aut in futurum reprobandos, tenere, aut legere praesumant. Et insuper omnes, & singulos librorum, Impressores, & Bibliothecarios, ac libros quomodolibet vendentes, & quascunque alias personas libros Lutheranos, aut alios haereticos, seu Lutheranam, aut aliam falsam doctrinam in se continentes, vel a nobis, & dicta sede quomodolibet reprobatos, ex quauis causa, etiam ex nostra, & dicta sede speciali licentia, seu permissione penes se habentes cuiuscunque status, gradus, ordinis, vel conditionis, aut praesinentiae existant, etiam sit ut praefertur pontificali, aut alia quacunque etiam maiori ecclesiastica, vel mundana dignitate praesulgeant (dictis Inquisitoribus, & commissarijs, ut praefertur, exceptis) dicta Apostolica auctoritate, & earundem tenore praesentium requirimus, & monemus, ac eis, & eorum cuiilibet in virtute sanctae obedientiae, & sub incursum haecenus, ac omnibus contra haereticos de iure inflictis, & promulgatis tam Ecclesiasticis, quam temporalibus sententijs, censuris, & poenis, districte praecipiendo mandamus, quatenus infra spatium sexaginta dierum a die publicationis praesentium, modo, & forma infra scriptis faciendae computandorum, quorum viginti pro primo, & alios viginti pro secundo, ac reliquos viginti dies pro tertio, & peremptorio termino, ac monitione canonica eis, & eorum cuiilibet in iis scriptis assignamus: Omnes & singulos libros Lutheranos aut alios haereticos, seu Lutheranam aut aliam falsam doctrinam in se continentes, vel a nobis, & dicta sede quomodolibet reprobatos, penes se eos ex quauis causa etiam mereaturae, & ex nostra ac eiusdem sedis permissione ac licentia etiam speciali, ut praefertur, penes eos existentes,

Edita anno Domini 1550.
 Ex bibliotheca nostra erataque impressa Romae anno Domini 1550.

De materia huius scripti videto, quae dixi copiose apud Eymmer. in Directorio par. 2. su per cap. fratemitatis.